

in Christi fide prius fundatam esse et pastorem ibi semper curam servatam et sanctorum apostolorum sanctae Romanae aeccliesiae doctrinis imbutam atque ipsam semper eius fuisse discipulam et peculiarem vicariam in omnibus, quae inadmodum insertum in eiusdem Aquileiensi aeccliesiae comperimus sacris litteris. Relatum igitur a nonnullis est in eadem synodo, quod eo tempore, quo Longobardi Italiam invaserant, Romanam aeccliesiam vir sanctissimus Benedictus papa regebat, Aquileiensi quoque civitati eiusque populo Paulus patriarcha preerat, qui Longobardorum barbariem et immanitatem metuens ex civitate Aquileiensi et de propria sede ad Gradus insulam, plebem suam, confugiens omnemque thesaurum et sedes sanctorum Marci et Hermachore secum ad eandem insulam detulit, idcirco non ut sedem aut primatum aeccliesiae suaeque provinciae construeret inibi, sed ut barbarorum rabiem possit evadere. Qui XII annis sacerdotium gerens, ab hac luce subtractus est regendamque aeccliesiam Probino reliquit. Isto quoque Aquileie defuncto, prefectae aeccliesiae Aquileiensi sacerdos Helias preficitur, et, hoc quoque mortuo, Severus huic succedens regendam suscepit aeccliesiam. Defuncto itaque Severo, ordinatur loco eius Iohannes patriarcha in Aquileia eo tempore, quo Agilulfus, rex Longobardorum, regnabat.

In Gradus quoque ordinatus est haereticus Candidianus antistes. Hic enim Candidianus nec per consensum comprovincialium episcoporum nec in civitate Aquileia, sed in dioecesi et plebem Aquileiensem Gradus, quae est perprava insula, contra canonum statuta et sanctorum patrum decreta ordinatus est. Et inter alia probat hoc huius Aquileiensi aeccliesiae Ioannis antistitis epistola ad Agilulfum regem directa, cuius textus inter caetera ad locum talis est: « Qualis autem unitas dicitur facta, ubi spata, ubi claustra carcerum, ubi flagella fustium, ubi longa exsilia crudeliumque poenarum discrimina parabantur, et miseri sufraganei aeccliesiae nostrae, scilicet episcopi Histriae, cum summa vi et necessitate a Gradensi castro Ravennam compulsione districtissima ducebantur Graecorum, necnon inibi loquendi licentia ne-